

1 Klemm / joh. Christoph. / diss. Exegetico-
dogmatica ex Vet. Testamento, tubingæ
2 ——— dissi. de theologia et Reli-
gione ex Vet. Testamento, tubingæ 1750
3 ——— diss. sistens fundamina theologiæ
ex Vet. Testamento quoad SS. trinitatem, tubingæ 1750
4 ——— diss. sistens fundamina theologiæ
ex vet. testam: quoad Anthropologiam,
tubingæ, 1750.
5 Mayer / D. joh. Ender. / diss. de Helldomade
magna, Wittenbergæ 1695
6 Michaelis / joh. Dav. / Argumenta immorta-
litatis animorum humanorum ex sacra
collecta, Goettingæ 1752

7 Michaelis (: joh. Georgij :) diss. de Angelo, Imperatore Exercitus Israelitici Josuae apparente, Halae 1752

8 Neumann (: joh. Georgij :) diss. de Parallelismo S. Scripturae, Wittembergae, 1695.

9 Oporini (: D. joachimi :) diss. in Apoc: X=XXII Goettingae 1752.

10 Osiandri (: joh. Adami :) diss. sistens Vindicias Scientiae in Deo mediae, tubingae, 1750

11 ——— Sciagraphia theologiae naturalis practicae, tubingae, 1750,

12 Pfaff (: Christoph: Matth. :) diss. de Stercoranistis medij aevi, tubingae, 1750

13 ——— diss. de apostolo paulo, tubingae, 1750

14 Klemmij (: joh. Christoph: :) diss. sistens fundamina theologiae ex vet. testam. quoad naturam creatam, speciatim Angelicam, tubingae, 1750,

15 Academiae Erlangae programma paschale Erlangae 1752.

16 Piderit (: joh. Rud: Ant. :) diss. de Characteribus Anti-Christi. marburgi, 1750,

17 ——— de abstractionis mentalis constitutione ex usu, marburgi 1750

18. Polly J. Christ. Frid. J. diss. qua demonstratur, hominem integrum, qui progrediatur ad statum confirmationis in bono, nobiliorem esse, ac perfectiorem Creaturam bonis angelis, Jenæ 1752.

19 Pries J. Joach. Henr. J. diss. quo sensu æternitas Dei fixa sit, Rostochii 1752.

20 Quisdorp J. Bernh. Fried. J. diss. sistens Exegesin theologicam notionis Biblicæ filiorum Dei, Rostochii, 1752.

21 ——— diss. de notione filiorum et filiarum Dei, Biblica, Rostochii 1752.

22 Richter J. Joh. Georgii J. diss. Examinans sententias D. Mart. Lutheri de matrimonio, Lipsiæ, 1752.

23 Ries J. Franc. Wilh. J. diss. de salute protoplastorum, Marburgi 1750

24 ——— diss. de Divinitate Scripturæ, Marburgi, 1750 pars I. et II.

25 Rolly J. D. Reinh. Henr. J. diss. de terminis Ecclesiasticis, Marburgi, 1750.

26 Schwartz J. Christ. Gottl. J. diss. de figuris patheticis, et divino vate Esaja illustratis, Altorfi, 1750.

27 Thalemann (s. Christ. Wilh.) diss. de Nube super arca foederis, Lipsiae, 1752.

28 Wagner (joh. Ehrenfr.) integritas commatis VII Cap. v. 1 Epistolae s. johannis vindicata, Chemnitij 1752.

29 Walch (s. joh. Georgij.) diss. de Ecclesijs domesticis Christianorum Apostolicorum, jenae, 1752.

30 Weickhmann (s. joach. Sam.) diss. de Divinitate Vocationis mediatae ad sacrum ministerium, Wittembergae 1750

31 Winckler (s. M. joh. peter Sigism.) untersuchung des von Gott über die schlange gefallen urtheils. Rolberg 1752

32 Harprecht (s. Christ. Ferd.) diss. de officijs erga providentiam divinam, circa casus fortuitos, Tubingae, 1750.

33 Hertel (s. M. Christ. Fried.) gedancken über das sprüchwortl. Er erfüllt seine Kinder dem Moloch Rauf, Halberstadt 1752.

27

NVBEM
SVPER ARCA FOEDERIS
IVDAICVM COMMENTVM VIDERI

EX AVCTORITATE

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPH

EXERCITATIONE ACADEMICA

DEFENDET

M. CHRISTIANVS GVILIELMVS
THALEMANNVS

LONGOSALISS. THVRING

ET

GEORGIVS CHRISTOPHORVS BVRMANNVS

TORGAV. MISNIC

LIPSIAE A. D. XIX. APRILIS. A. C. CIↃIↃCCLII

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

30

SVMMI

SENATVS ECCLESIASTICI

DRESDENSIS

ILLVSTRISSIMO

DOMINO

PRAESIDI

MAECENATI MAXIMO

VIRIS

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS

EIVSDEM COLLEGII

CONSILIARIIS

ET

ASSESSORIBVS

GRAVISSIMIS

PATRONIS OPTIMIS

HANC EXERCITATIONEM ACADEMICAM

SEQVE ADEO IPSVM

D. D.

ADDICTISSIMVS CLIENS

CHRISTIANVS GVILIELMVS THALEMANNVS.

Cum in interpretatione librorum sacrorum, tradendisque suae gentis antiquitatibus eam semper rationem ingenii sui prodidissent Iudaei, vt in fingendo plus iusto sibi indulgerent, in iis maxime rebus, ex quibus peculiare aliquod, nec affectandum aliis gentibus, decus sibi nasci sperarent, eamque consuetudinem suam tot tantisque documentis probassent, quae etiam minus circumspectos aduertere, atque in suspicionem coniicere debuissent: mirandum tamen est, quantam facilitatém in amplectendis illis, quantam certe inconstantiam in probandis repudiandisque, Christiani, nequaquam ceteroquin Iudaeis dediti, praebuerint. Atque huius rei causas non est difficile indagare, si quis modum perpenderit, quo Christiani primum ad linguae Hebraicae scientiam peruenerunt. Cum enim nulla alia eius discendae ratio pateret, nec aditus daretur, nisi per Iudaeos ipsos, quibus olim solis huius linguae tradendae facultas esset, nullisdum libellis compositis, quibus per praecepta ac certa principia linguae huius ratio, vt postea factum est, traderetur: non mirum est, si magna hac in re Iudaeorum auctoritas fuit, quos auctores vnicos huius tam necessariae doctrinae habebant, etiam si qua minus recte ac sincere dicta essent, ab iis tamen profecta, quos in reliquis huius generis rebus doctores suos et magistros vnice agnoscerent. Deinde vero cum ad eam doctrinam percipiendam opus esset, et disputantes audire Iudaeorum magistros, et eorum libros crebro versare: quid mirum, si hac adsuetudine eoque commercio in eam similitudinem cogitandi ac disputandi sese conformarunt, vt, quae sibi praeceptores illi tradidissent, vel hoc nomine facilius arriperent, quod ipsorum ingenio, praeceptis eo-

rum subacto, essent accommodata. Vnde etiam factum, vt, quo quisque maiori studio in hoc genere versaretur, quoque saepius tractandis Iudaeorum libris disputationibusque operaretur, maioremque sibi huius doctrinae apparatum colligeret, tanto facilior esset credendis iis, cum quorum magistris in tantam familiaritatem peruenisset. Neque etiam mediocris eo in negotio fuit nouitatis commendatio, cuius gratia in re cum per se magna et summopere accepta, tum rarissima adhuc, immo incognita, facile efficiebat, vt, quicquid pertinere ad notitiam eius existimarent, id cupidius, quam cautius, arriperent: debiliori etiam in re noua examinandi cura, quam recens amor et cupiditas in omnibus rebus solet infringere. In quo quidem tanto magis excusari merentur, quod omnia, quae a Iudaeorum magistris tradita acceperunt, aut ad antiquitatum Iudaicarum cognitionem, aut ad interpretationem eiusmodi locorum scripturae sacrae pertinuerunt, ex quibus vel perperam intellectis nullum caput religionis verae quicquam detrimenti caperet. Neque enim quicquam est ex iis, in quo probato aliquid momenti ad auctoritatem nostrae religionis labefactandam inesse videatur, nisi forte id in eo numero habere velimus, in quo leuitatem IO. BVXTORFII I. F. accusat ALBERTVS SCHVLTENSIVS v. c. in Praefatione Commentarii ad Prouerbia Salomonis, quod honorificum illud linguae Hebraicae nomen, quod Iudaei, et ex ore eorum Christiani vulgo vsurpant, לשון הקדש tribuere illi cum Iudaeis tam facile animum induxerit; cum non animaduerteret bonus ille vir venenum, quod sub illius nominis latebra occultaretur. Etenim hoc tribuendo nomen illud effectum voluerunt Iudaei, vt ipsum Deum non alia vsum esse lingua, nec alia vti vnquam velle, indicarent, ceterasque adeo linguas omnes, Graecam quoque, qua libri Noui Testamenti perscripti sunt, et Aramaeam, siue Syriacam, qua Seruator noster vsus est, profanas, neque aut a Deo, aut a viris θεοπνεύστοις vsurpatas ostenderent: quod quam infesto animo, quamque exitioso consilio in libros nostrae religionis diceretur, si intellexissent BVXTORFIVS aliique, quis credat, eos hoc nomine vti voluisse, quo Iudaeorum peruicaci superbiae tantum tribueretur. Clara sunt in hanc rem, si quis Iudaeorum mentem perspicere velit, loca, quae extant apud SCHVLTENSIVM l. c. p. 44. Sed, vt diximus, tam pernicioſum consilium nequaquam secutos nostros, nimis credidisse tamen Iudaeis in eo censet SCHVLTENSIVS, quod vsurpatum ab ipsis nomen tam facile acceperunt, non satis considerantes, quo sensu a Iudaeis adhiberetur. Sed multo plura nimiae huius facilitatis exempla renatarum literarum cultores dederunt in illis librorum sacrorum interpretationibus accipiendis, quae a Iudaeorum

rum magistris traditae nihil in se quidem habebant, quod vel summae religioni, vel cuiquam ex eius partibus ac decretis aduersaretur; ceterum neque cum natura linguae, neque cum contextu, aliisque locis ac rebus, congruerent. Cumque interpretationibus sententiae de rebus sacris atque opiniones, antiquitatum quoque et rerum gestarum traditiones nitantur: factum est, vt simul cum illis, perque illas cupidius acceptas, multarum opinionum, multarumque antiquitatum fides apud Christianos invaluerit, quae nulla alia, nisi falsae interpretationis auctoritate subnixae, conuulsa hac atque euersa, simul labefactatae corruerent, quae tamen a Iudaeis bona fide acceptae, ab his porro, qui eas acceperant, ad alios multos transmissae maiori sane, quam par erat, modo constantia retentae, modo leuitate fuerunt relictae atque refutatae. Factum igitur est, vt melius constitutis interpretandi subsidiis, inspecto ac consulto accuratius textu, adhibitis etiam in auxilium aliorum scriptorum veterum, tanquam PHILONIS ac IOSEPHI scriptis, omninoque aucta cura simul ac facultate proprio iudicio cuncta exigendi, multa ex istis traditionibus fundamento carere cognita, a recentioribus vt inania repudiarentur; quod minus licebat illis, quibus discendi pariter ac credendi maius studium, exigendi cura minor et praesidia erant infirmiora. Sed a quibusdam tamen magistrorum Iudaicorum traditiones fidemque tam varie interdum aestimatam videas, vt, nullo varietatis atque inconstantiae metu, nunc eam illis tanquam nugacissimi ingenii hominibus, ac studiosis partium, negent, v. c. in istis traditionibus de igne sacro ac perpetuo, de vnctione summi Pontificis per figuram Caph Graeci, siue crucis Andreanae etc. nunc haud aliis magis, vt qui optime scire ista atque explicare potuerint, habendam statuant, vbi v. c. disputant de ingressu Pontificis in adytum, eiusque habitu ac vestibus, de agno paschali, de panibus facierum etc.

Equidem dudum in eam cogitationem pronum me esse sensi, vt, quae cum apud Iudaeos, tum apud Christianos ex ore eorum de nube illa, diuinae praesentiae super arca foederis in tabernaculo pariter ac templo indice celebrantur, in eorum numero habenda esse putarem, in quibus amplectendis minor facilitas, et in excutiendis maior diligentia adhiberi potuisset: non quo praesentiam diuinam tabernaculo aut ipsi templo super arca foederis abiudicare auderem, quod nimis manifestis librorum sacrorum locis aduersaretur, sed vt de signo eius atque argumento, quod in nube illa vulgo ponitur, tam secure tamque confidenter, quam fit a multis, pronunciare non sustinerem. Eaque res cum non indigna diligenti disquisitione videretur: non alienum duxi, quae confirmandae huic sententiae

tentiae vulgo afferuntur, sub examen modeste ac timide vocare. Graue enim est, ac fere temerarium, tantae auctoritati tot summorum virorum, qui defensores se huius sententiae praebuerunt, non illico cedere. Hoc autem quo rectius facerem, statui hac commentatione, dubitationibus atque argumentis diligenter pensitatis, vtra momentum faciant, non tam meo iudicio definire, quam eruditiorum sententiae diiudicandum permittere, quorum fauori me atque hanc qualemcunque commentationem etiam atque etiam commendo. In ea autem re examinanda secuturi sumus eam rationem, quam nobis summi literarum sacrarum interpretes et antiquitatis auctores praeiuerunt, vt primo quidem scripturae sacrae loca excuterent, quae aut ex illis traditionibus lucem capere viderentur, vel iis amplectendis causam materiamque praebuisse: tum deinde scriptores antiquos consulerent, quorum si non maior, certe par cum Iudaeorum magistris auctoritas haberetur, vt constaret, quid illi, et num omnino quicquam de his rebus eo loco dixerint, vbi commode et sine iusta reprehensione illas praeterire non potuissent, aut certe commemorandi opportunam occasionem habuissent: ad extremum vero ipsius quoque rei naturam expenderent, omninoque adeo, num necesse esset, aptumque satis, eiusmodi traditionem amplecti, dispicerent. Quodsi igitur loca primo illa librorum sacrorum, quae probandae huic sententiae afferuntur, aut ex ea illustrari putantur, nullam aut leuem vim ad probandum habere videbunrur; si deinde nec veterum scriptorum, qui de illa re dicendi et facultatem et occasionem, et causam quoque habuerunt, auctoritas satis ei fauebit; ac denique in ipsa rei natura nihil erit, quod necessitate quadam hanc sententiam commendet: non credimus, quenquam fore, qui nobis vitio vertat, si in re argumentis idoneis ad fidemque necessariis destituta, veritati potius, quam auctoritati receptaeque opinioni, credendum duxerimus. In eo quoque aequos iudices speramus nos habituros, vt eam rem, de qua nobis dubitandum sumsimus, ad aliquod caput sacrae doctrinae pertinere nequaquam existiment, sed ad traditionem aliquam interpretationemque locorum referant, quae quomodo accipiantur, ad doctrinae quidem summam perinde sit. Cum enim nihil nisi modum aliquem contineat, quo Deus suam apud Iudaeos praesentiam indicare voluerit: nihil decessurum videtur religioni, aut vlli eius capiti, si nihil, quod hunc modum cogat statuere, aut scriptura sacra, aut veterum testimonia, aut ipsius denique rei natura suppeditet.

§. I.

Itaque, vti proposuimus, id primo agemus, vt de locis librorum sacrorum quaeramus, quae partim huic traditioni confirmandae adferuntur,

partim

partim ex ea, quasi iam probata, explicantur atque illustrantur. Cum Deo placuisset ex Aegypto eductum populum suum per longa deserti spatia atque ambages in Cananaeorum sedibus collocare, hoc etiam benignitatis suae et peculiaris in hunc populum curae documentum edere voluit, vt, cuius viae auctor fuisset, eidem sese ducem quoque praeberet, eiusque beneficii sui signum atque, vt sic dicam, instrumentum voluit esse nubem, seu globum interdiu vmbrosum, noctu autem igneum fulgentemque, vt ab omnibus conspiceretur, vti clare commemoratur Exod. XIII, 21. Quo autem certius documentum praesentiae diuinae illa nubes haberet, non praeiuisse modo populum, sed etiam interdum demisisse se ita dicitur, vt ex ea, quasi ex sede sua, Deus cum Mose locutus responsa daret ad populum ferenda; quale exemplum primum legitur Exod. XXXIII, 9. quo quidem ex loco apparet, Deum, cum ita se demitteret, nubem illam statuisse ad ostium minoris tabernaculi et quasi temporarii, quod ad maioris illius et longius duraturi exstructionem, vsque sacris vsibus inseruiret. Postea vero in maiori illo tabernaculo, quod ad praescriptam a Deo formam exstruxerat Moses, non alium locum nisi tectum summum occupasse illa nubes inuenitur, vnde sublata mouere castra, reposita autem collocare ac figere iuberet Exod. XL, 34. etc. quod quidem primo factum legitur in ipsa consecratione huius tabernaculi, vt hac ipsa re id domicilium sedemque praesentem statuisse sibi in eo tabernaculo Deus ostenderetur, qui etiam tam honorifico nomine locum illum dignatus, habitaturum se dicit inter Cherubinos super arca constitutos, et ex eo loco responsa populo daturum Exod. XXV, 22. Ex his vero neutiquam consequitur, nubem illam, quam supra tentorium consedisse facile concedimus, etiam intra ipsum tabernaculum demissam locum eum inter Cherubinos occupasse, quem Deus suae praesentiae sedem futuram significauerat, vt nempe externum eius signum et aspectabile nubes illa foret. Nam etsi, vt diximus, demissa illa super tabernaculum nubes dedicasse illud legitur, et gloria Domini implesse totum tentorium, vt etiam aditu Moses prohiberetur Exod. XL, 34. 35. non tamen eo loco, aut his verbis exponitur, quid demissa illa nube factum sit, nec demissionis illius causam hanc fuisse, vt gloria diuina tabernaculum repleret, sed hoc tantum, quid deinde, vel simul etiam factum sit. Neque vero gloria illa Dei, quae hic commemoratur, aliud quicquam fuit, quam nebula, vel etiam splendor aliquis eximius, quo Deus suae maiestatis praesentiam in ipso quoque tabernaculo declarari vellet, qualis etiam apparuisse narratur in dedicando templo Salomoneo 1 Reg. VIII, 11. vbi diserte talis nebula commemoratur,

quae visum inter sese et sacrificandi facultatem sacerdotibus ademerit, de quo paullo inferius; eodemque modo Iesaias, cum vidisset domum, seu templum, densissima nube oppletum, vidisse dicitur gloriam Dei Io. XII, 41. Diuersam itaque esse hunc praesentiae diuinae indicem, nubem seu nebulam, quae in ipso tabernaculo fuit, ab illa nube, quae supra tectum eius consederit, vel inde apparet, quod haec tantum demisisse se supra tectum, illa vero totam domum dicitur complesse; quod neutiquam in illam nubem conuenit, ac ne ab auctoribus quidem huius sententiae ipsis defenditur. Cumque haec gloria Dei non semper fuerit in toto tabernaculo, sed eo tantum tempore, quo illud dedicaretur atque consecraretur: in eam necessitatem adiguntur, qui sic sentiunt, vt hoc quoque dicendum sit, eam, relicto sanctuario reliquisque partibus tabernaculi, concessisse in sanctum sanctorum, et se quasi contraxisse, vt perpetuam ibi sedem haberet; quod nemo nec vidisse, neque affirmare adeo potest, cum haud alio tempore conspecta illa sit, quam quo tabernaculi dedicationem diuinae praesentiae signo cohonestaret, ac venerabilem redderet. Id tamen sic visum est expedire quibusdam, vt dicerent, nubem istam tecto tabernaculi insidentem tectum penetrasse etiam in adytum, vt simul supra tentorio ab omnibus conspiceretur, et intra adytum simul arcam cum Cherubinis obumbraret, ita vt, vbi leuata nubes itineris signum populo dedisset, illa quoque pars, quae adytum replebat, vna tolleretur, quasi eminentem illam partem secuta, hac autem reposita, et ipsa locum in adyto suum rursus occuparet: quae fingendi leuitas nullo modo conuenit interpretis sacri gravitati. Sic tamen IO. LVNDIVS Sacror. Iudaic. L. I. c. 12. vt alios taceam. Sane egregie sic omnia constarent iis quidem, qui necesse sibi putant tale quid assumere, modo in literarum sacrarum documentis potius, quam in interpretum ingeniis nata haec essent. Nec tamen hi ipsi testimonia sibi deesse putant, quorum haec vt praecipua affert LVNDIVS, quod Deus promiserit Leu. XVI, 2. *se velle apparere in nube super propitiatorio*, et Exod. XXV, 22. *se habitaturum inter Cherubinos et cum Mose locuturum ex eo loco;* vnde haud dubium esse, quin Deus eo tempore, quo dedicaret tabernaculum magnifico suae praesentiae indicio, hanc suam sedem occuparit per eandem nubem, quae etiam super tentorio conspiceretur. Sic autem explicantibus illa loca erat necessarium eo deuenire, vt statuerent, nubem non in tectum modo tentorii missam, verum etiam per tectum aliove quo modo veniisse in sanctum sanctorum, ibique inter Cherubinos perpetuam sedem tenuisse. Quodsi autem vere promisit Deus priori loco, se habitaturum inter Cherubinos die expiationis, atque adeo consequens

est,

est, nubem perpetuo ibi fuisse; sique non minus ex eo, quod habitauit illo in loco Deus, (quod nullo modo negatum imus) illud quoque necessario consequitur, vt id non factum esse dicamus, nisi per externum aliquod signum, idque nubis eiusmodi: tum vero haec argumenta haud dubie pro arce ac fundamento sententiae totius valebunt, omneque illius robur constituent.

§. II.

Sed age videamus, an ista loca recipiant illam interpretationem, eamque vim habeant, quae iis vulgo tribuitur. Leu. XVI, 2. dicit Deus ad Mosen: דבר אל אהרן אחיך ואל יבא בכל עת אל הקדש מבית לפרכת אל פני הכפרת אשר על הארון ולא ימות כי Vltima verba vulgo sic vertuntur: *etenim* בענן אראה על הכפרת *in nube apparebo super propitiatorio:* quae si vera interpretatio est atque vnica, vicere quidem, qui nubem statuunt die expiationis Pontifici visam fuisse super propitiatorio, non autem, qui et alio tempore perpetuo ibi sedisse contendunt. Sed ne illius quidem sententiae praesidium ex hoc loco peti posse nobis videtur. Iam vt ab ipso verbo אראה initium faciamus, non est necesse id sic capere, vt nullum alium sensum admittat, nisi hunc: *apparebo, conspiciendum me praebebo;* cum etiam hanc explicationem forma illa passiua recipiat, vt sit, *in conspectum meum veniet, aditum ad me dabo.* Qnod si est, vt esse per ipsam vim verbi passiui potest, quidni iam sic interpretemur: *nam* (siue potius *sed*, in oppositione contrarii, de quo deinde) *videbor, videbit me, in conspectum meum veniet*, cui nempe licet, Pontifex scilicet die expiationis, *in nube veniet*, inquam, *coram me, seu per nubem, seu cum nube* (quis enim ignorat, ב significare etiam *per* et *cum*) *quam excitet super propitiatorio, vel prope illud*, vtrumque enim significat על: quae qualis esse debeat, deinde videbimus. Ceterum huic loco simillimus alius Exod. XXIII, 15. vbi dicit Deus: לא יראו פני ריקם quod sane nihil aliud est, ac si dixisset, לא אראה ריקם *nemo in conspectum meum veniat, nemo adeat me inani manu, sine donis*, vt optime expressit LVTHERVS in versione. Qui ad Deum accedebat sacrificaturus quodnam is videbat praesentiae diuinae symbolum, aut num nubem illam, si quae fuit in sancto sanctorum, potuit videre? et tamen dicit Deus יראו פני quod nihil aliud est, quam *venient in conspectum meum.* Quae interpretatio tribuenda est omnibus sacrorum librorum locis, vbi Deus, seu quod idem est, Dei facies in tabernaculo et templo dicitur videri, conspiciendaue praeberi, v. g. in eodem capite v. 17. Exod. XXXIV, 24. Es. I, 12. aliisque locis innumeris. Praesentiam

diuinae maiestatis e tabernaculo et templo neutiquam tollimus, visibile eius signum, et nominatim eiusmodi nubem ibi fuisse, nondum persuadent explicata hoc modo loca, quae maxime, siue vnice potius, persuadere debebant. Qui vocem פנים vrgent, Hebraismum aut ignorant, aut non reputant, notiorem ac tritum magis, quam vt hic adstrui debeat, quo facies cuiuscunque pro ipso ponitur, vti et in Nouo Testamento τὸ πρόσωπον, vt saepe facies terrae pro ipsa terra, et sic centies. Sed, vt ad coepta redeamus, cum ipsis verbis hic, quem diximus, sensus commodissime tribui possit: iam contextum quoque inspiciamus, vt per hunc quoque, non alium illis verbis tribuendum esse sensum, appareat. Fuerunt quidem viri docti, ne quid dissimulemus, et erunt hodieque haud dubie, quibus haec interpretatio contortior et nimis quaesita videretur, quod tum maxime fit, cum alia iam occupatus animus tenetur; sed hic metus statim, vt speramus, evanescet, si contextum istorum verborum recte expenderimus. Loquitur Deus ad Mosen initio huius capitis, mortuis Aaronis filiis בקרבתם לפני יהוה (tamen et ipsi nullam nubem viderant) eumque iubet hoc denunciare Aaroni, ne quouis tempore adytum intraret, sanctissimum illum locum, quam sedem suam fore ante iam Mosi significauerat Exod. XXV, 8. 22. quo essent recondita mysteria, arca cum Cherubinis, nemini aspicienda, ne similem poenam mortis subiret; qua de causa etiam addit, ne veniat אל פני הכפרת quam partem arcae, vt primariam Dei sedem, pro tota ponit. Iam sequuntur illa verba, quibus rationem reddi praecedentium volunt sententiae, in quam inquirimus, auctores, כי *quoniam*, vti vertunt, *conspiciar in nube*. Sed illud כי propius Hebraismum est, vt, praecedente negatione, significet *verum, sed*: veluti Gen. XVIII, 15. XXIV, 4. Exod. XVI, 8. etc. quod et Rabbinorum subtilissimi obseruare suis locis non neglexerunt. Sit itaque sensus: non veniat Aaron ad me sic leuiter, non ita temere coram me compareat; moreretur enim, si hoc auderet: verum conspiciar in nube, veniat ad me in nube, seu per nubem, seu cum nube sc. fumi ex suffitu, quae tegat propitiatorium, totamque adeo arcam: quod fiat semel quotannis, die scilicet expiationis. Atque hic adytum ingrediendi modus et haec cautio in sequentibus accuratius describitur, nempe v. 12. 13. ולקח מלא המחתה גחלי אש מעל המזבח מלפני יהוה ומלא חפניו קטרת סמים דקה והביא מבית לפרכת ונתן את הקטרת על האש לפני יהוה וכסה ענן הקטרת את הכפרת אשר על העדות ולא ימות *et sumat plenum thuribulum prunis ardentibus ex altari, et plenos pugillos suos suffitu dromatum attenuato, et inferat illa intra velum: et imponat suffitum illum*

illum igni coram Deo, VT TEGAT NVBES ILLA SVFFITVS OPERCVLVM, QVOD SVPER TESTIMONIO EST, NE MORIATVR. Quis non videt, hanc esse verborum illorum superiorum clariorem interpretationem? Fumus ille ex suffitu etiam appellatur *nubes*, haec nubes tegat *propitiatorium*, et hoc faciat Pontifex, *ne moriatur*, quod idem est v. 2. Cuius etiam iussi ratio egregie constat. Si enim iam fuisset nubes in propitiatorio, quae diuinae maiestatis praesentiam occultaret, cur iubeat Deus aliam excitare ex suffitu, quae hanc ipsam nubem ita rursus occultaret, vt nec a Pontifice posset conspici? Si iam tecta fuerant ista arcana nube illa diuina, et iam sic nullius conspectui patebant, quorsum alia nubes, quae hanc ipsam velaret atque absconderet? Hoc enim erat consilium Dei, vt Pontifex ista nube suffitus rebus sacris induceret caliginem, ne ipsius exposita oculis mortis periculum ei crearent. Erat enim haec sedes praesentiae Dei, quod nullo modo negamus, quam etsi externo signo declaratam non daret, necessaria tamen nihilominus erat reuerentia, quae etiam habita atque obseruata fuit in templo secundo, quanquam aberat arca, atque adeo nubes etiam, si quae vnquam adfuit, cuiusque adytum non minus a Deo, etiam sine illa nube, putabatur inhabitari.

§. III.

Sed ne cui noua prorsus atque inaudita haec interpretatio visa, hoc ipso nomine, quod saepe fieri, maxime in hoc genere rerum, videmus, reiiciatur, si non et inuidiam pariat: age quaeramus illi auctoritates, quibus etiam nouitatis reprehensionem amoliamur. Quas quidem, cum eo consilio volueremus illustriorum interpretum libros, non sane tam raras inuenire contigit, inter ipsos adeo, quod maxime mirati sumus, Iudaeorum magistros, quorum qui plus aliis sapiunt, maiorisque sunt in scriptura sacra interpretanda auctoritatis, ita proferunt hanc interpretationem, vt eam et naturae sermonis Hebraei aptam, et contextui vnice consentaneam esse dicant; aliis duplicem, vt solent, huic loco sensum tribuentibus, aliis nostram interpretationem cum illius refutatione solam amplectentibus. In iis deprehendimus esse R. SALOMONEM IARCHIVM ad hunc locum, qui sic habet: כי בענן אראה, כי תמיד אני נראה שם עם עמוד ענני ולפי שגלוי שכינתי שם יזהר שלא ירגיל לבא זהו פשוטו ומדרש לא יבא כי אם בענן הקטרת ביום הכפורים *etenim in nube videbor*, h. e. *quoniam semper videbor ibi cum columna nubis meae, et quandoquidem ibi Schechina seu praesentia mea declaratur, monet, ne crebrius accedat. Hic sensus est simplex seu literalis; reconditus vero hic est: ne accedat, nisi cum nube suffitus die expiationis.* Non negat

IARCHIVS his verbis illum sensum, quem nos iis subiecimus, inesse, ita tamen, vt alterum, qui faueret communi opinioni, simul amplectatur; quae literas sacras interpretandi ratio valde est frequens Rabbinis. Duplicem pari modo loci istius sensum indicat etiam KIMCHIVS ad II. Paralip. VI, 1. ABEN ESRA ad h. l. ad verba כי בענן sic scribit: בעטם שלא יכנס כי אם בקטרת שיעשה ענן ולא ירחק כאבוד כך ימות, וכאשר טעמו לא לחייב כרחך לומר כי אם בענן ואם לומרים כי כי בענן בעבור כי אמי בי בענן על הכפרת ועטם יי אמי לבתון בערפל *sensus est, ne accedat nisi cum suffitu, vt fiat nubes, nec conspiciatur gloria, ne moriatur. Et ecce! sensus hic est: non ero videndus nisi per nubem, seu cum nube. Et sunt, qui dicant, sensum esse hunc: in nube, propterea quod ego habito in nube super propitiatorio, secundum illud: dixit Dominus, se habitare in caligine.* Nostram interpretationem solam amplecti videtur ABEN ESRA, quoniam illam praeponit tanquam suam, et sensum sibi probatum, alteram vero affert vt ab aliis prolatam, nec vllo argumento adstruit, aut sibi probari ostendit. Et commode sane verba ista כי בענן אראה sic interpretatur לא אחייב כרחך כי אם בענן *non ero videndus, nisi per nubem* sc. suffitus. Alia interpretandi ratio est apud ABARBANELEM ad h. l. cum quo etiam facit R. ABENDANA ad h. l. in R. BEN MELECH Michlal Iophi, qui particulam כי hoc loco pro רק positam esse putant, vt aliis in locis, quae afferunt v. c. Gen. XVII, 15. XIX, 2. XL, 12. et sensum dicunt esse hunc: רק בענן בקטרת אחת בשנה אחייב כרחך לראות על הכפרת *tantum, seu non nisi, per nubem suffitus semel per annum videbor ab eo* (Pontifice scilicet) *super operculo arcae.* Atqui hi solam hanc interpretationem amplectuntur, et quod mireris, ABARBANEL alteram reiicit, et IARCHIVM refutat, ita quidem, vt a Iudaeo non expectaueris. Audiamus eum ad ista verba כי בענן ita disserentem: ופרש"י לפי שנגלוי שכינתי שם / יזהר שלא יבוא שם בכל עת / לפי שכיוון שהקב"ה מדבר עם משה בכל עת שיכנס / אמר לו הזהר שאתה שכיוצא בענן / גם שכיוצא בענן לא מוצא שיכנס שם / לפי שכיוון שהקב"ה על כיוצא מכוסה בענן / יתן מקום לכנס שם / והרחיק / וכשם ענן בקטרת את הכפרת ולא ימות *Iarchius explicat, quoniam ibi conspicitur Schechina mea, monet, ne quouis tempore eo veniat. Sed enim textus non dicit, Schechinam esse in nube, et si etiam esset in nube, non esset prohibitus, quo minus eo accederet, sed contra potius, quoniam esset tecta nube, daret illi locum eo accedendi. Et hoc est probabile ac verum: et tegat nubes suffitus propitiatorium, ne moriatur* sc. Pontifex. Quid simplicius pro nostra sententia? quid apertius? Mirum profecto, haec a Iudaeo contra gentis suae quasi publica placita potuisse proferri. Sed ille est vir, quem nostri fere omnes fatentur, si non plane errores suae gentis reliquerit, multum tamen et acumine ceteros vicisse, et

modera-

moderatione. Sed nos his commemorandis nihil aliud efficere volumus, quam vt appareat, hanc interpretationem nec nouam esse, nec ipsis adeo contrariae sententiae defensoribus incognitam atque improbatam, cui adstruendae alia atque firmiora argumenta deinde afferemus.

§. IV.

E Christianis interpretibus paucos sane vidimus, qui nostram interpretationem amplecterentur: cuius rei causa forte haec est, quod sacrorum librorum versiones in quaque ecclesia receptae, atque etiam versio nostra vernacula a Luthero nostro profecta interpretationi illi vulgari fauent, paucique fuerunt, qui totam istam de nube super arca opinionem accuratius excuterent; quod effecit, vt de loco, e quo ista opinio maxime confirmari videbatur, parum essent solliciti, neque eum curiosius inspicerent, atque indagarent. Affulsit tamen, quasi lux in tenebris, auctoritas magni C. VITRINGAE, principis haud dubie in interpretatione, qui L. I. Obs. Sacr. Dissert. II. c. 4 §. 6. 7. et totam vulgarem opinionem refutauit, et hunc inprimis locum, quem primarium in hac causa esse fatetur, eo, quem attulimus, modo explicauit, omissis reliquis omnibus, e quibus haec traditio solet confirmari atque illustrari: illo enim loco aliter explicato, cetera illa, tanquam fundamentis subtractis, labant ac corruunt. *Loca*, inquit, *a Buxtorfio aliisque prolata de commoratione huius nubis apud tabernaculum, et quandoque in priori parte tabernaculi, nulla vero* (ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας) *de habitatione huius columnae apud vel supra arcam intelligenda sunt.* Et huius tanti viri rationem atque auctoritatem in hoc loco explicando secuti maxime, non putauimus mediocrem inde causae nostrae defensionem accessuram.* Praeter hunc vidi etiam Seringhamium commemora-

* Cum primum in hunc locum Vitringae incideremus, vtebamur editione obs. Sacr. Franequerana anni 1689. Sed cum postea evoluissemus editionem recentiorem Franeq. 1712. sperantes, hanc dissertationem ab auctore auctam esse, vidimus hanc subiectam notam: *Quae hic in prioribus huius libri editionibus collocaueram, nolui delere, quia nostra haec dissertatio viris quibusdam literatis et veri studiosis non displicuit. Nec tamen sententiam, quam hic defendo, haberi velim pro certa. Immo non negabo, me, si non secundis, saltem tertiis curis, pedem cepisse retrahere, et ad gregem Doctorum, quem antea deseruerat, retrospexisse. Tu tamen, lector, tuum iudicium tibi hic habe integrum, et rem absque vlla ἐμμονῇ anticipata expende.* Haec cum legissem, non potui non valde mirari, quid tandem Vitringam mouerit, vt relinqueret sententiam, quam antea tam serio tamque subtiliter propugnasset. Neque, si quid videmus, aliud quicquam in causa fuit, quam

memoratum a VITRINGA, hunc locum sic explicare ad Codicem Ioma p. 52. vbi quidem monet, non infrequens esse, vt fumus vocetur nubes, etiam apud Latinos, quod confirmat exemplis. Sed hoc, puto, non est necesse, cum hic ipse fumus in adyto excitatus a Pontifice diserte nubes dicatur v. 13. eiusdem capitis, vt iam supra monuimus. VITRINGAM secutos etiam esse vidi Interpretes Anglicanos ad h. l. nouissime apud nos lingua vernacula editos, qui quidem iisdem fere argumentis, quibus ille vtitur, negant hunc locum posse aut debere adeo explicari de nube gloriae diuinae super arca, sed de nube potius excitanda e fumo suffitus v. 13. Sed quemadmodum Rabbini, si ABARBANELEM exceperis, hunc locum de isto fumo explicantes nihilominus nubem gloriae diuinae in arca consedisse statuunt: sic etiam Interpretes Anglicani, quamuis negent, nubem ibi fuisse, tamen gloriam Dei, h. e. splendorem, diuinae praesentiae signum, inter Cherubinos dicunt effulsisse. Nubem, dicunt, in consecrando tabernaculo resedisse supra tectum, dum interea gloria Dei adytum maximo splendore compleret. Sed iam supra diximus, gloriam Dei in consecrando tabernaculo illud totum complesse; solum vero adytum occupasse, ita vt nunquam ab eo discederet, non dicitur. Deinde vero magis est probabile, vti diximus, gloriam illam Dei fuisse nebulam aliquam, non solum splendorem, et si vel maxime fuerit, reliquisse tamen videtur, vt vniuersum tabernaculum, ita et adytum.

§. V.

Quod diutius immorati summus isti loco, eo magis ignoscent Lectores, quo magis, vulgari interpretatione probata, traditionem istam confirmare videbatur, quoque plures videramus in ea sententia probanda hoc vno afferendo acquiesse. Quoniam igitur ista sententia nihil praesidii nobis videtur ex illo loco accipere, videamus, an forte reliqua, quae ei defendendae vulgo afferuntur, maiorem vim habeant. Neque vero obscure indicant multi, illum locum Exod. XXV, 22. de quo iam supra diximus, suam sententiam de nube super arca valde confirmare sibi videri. Vbi cum Deus dicat Mosi, se in operculo arcae praesentem fore, ibique cum eo collocuturum, colligunt inde, Deum per externum quoddam symbolum praesentiam suam ibi declarasse, nec nisi per nubem cum Mose locutum. Quod quomodo ex hoc efficiatur, non magis video, quam quo-

quam inuidia suorum, quam ea disputatione mouerat, cui cedere consultius ei visum ex ipsius verbis apparere nobis videtur potius, quam veris victum sese intellexisse.

quomodo Iudaei ex Exod. XXIX, 45. vbi Deus dicit שכנתי בתוך בני ישראל eandem nubis praesentiam super arca possint adstruere, cum ita hunc locum interpretentur, quasi Deus dicat: collocabo Schechinam meam (per quam h. l. nubem intelligunt) in medio Israelitarum, quae scilicet perpetuo super arca resideat. Nihil enim aliud vtroque loco Deus pollicetur, quam se fore praesentissimum populo Israelitico, ita vt etiam habitare inter eos videatur, sibique locum elegisse super arca inter Cherubinos, quibus tanquam throno insidens Mosi velit responsa dare. Hanc vero suam praesentiam in isto loco declaraturum esse per nubem, nec nisi per eam cum Mose locuturum, nec vspiam dicitur, neque iis in locis, in quibus commemoratur Deus cum Mose locutus esse in tabernaculo, vnquam nubis fit mentio. Non enim, si Deus ille inuisibilis praesentia sua locum aliquem dignatus est, idcirco statim eius praesentiae signum visibile statuisse intelligendus est; nec illa nubes vtique signum illud fuisse coniici potest nisi ab iis, qui ex principe illo loco, de quo iam transegimus, id confici statuentes, explicationem illam sententiamque in mente habent, quae non magis ex aliis locis, vbi collocutus cum Mose Deus narratur, quam ex hoc primo, elici posse videtur. Leu. I, 1. dicitur Deus vocasse Mosen e tabernaculo, eique decreta dedisse, et Num. VII, 89. Moses, quotiescunque Deum vellet consulere, dicitur vocem audisse a propitiatorio. Nihil hic de nube. Neque vero aliquis putet, Deum, vbi voluerit cum Mose alioue quo loqui, semper vsum esse externo praesentiae suae symbolo, quod nec factum semper esse, neque adeo necessarium fuisse, vel ipsae sacrae literae docent. Quid enim? Quam saepe Deus cum Mose locutus est, ante quam exstrueretur tabernaculum, sine vllo externo signo? quod interdum quidem accessisse non negamus, tanquam cum per rubum ardentem se illi praeberet conspiciendum: in monte vero Sina per signum tale Deum cum Mose semper esse locutum, inde refellitur, quod, cum Deus iam illi responsa sibi dedisset, tandem promisit, se venturum in montem בעב הענן Exod. XIX, 9. Nil ergo nisi vocem Dei antea audiuerat, nihil viderat. Quid igitur impedit, quominus etiam in adyto sic Mosen statuamus vocem tantum audisse, nihil vidisse; Deo nihilominus praesente, loquente autem per בת קול quam Rabbini vocant, ita nempe, vt claram distinctamque vocem Dei audiret. Certe nihil vltra colligere licet ex Leu. I, 1. et Num. VII, 89. quod iam diximus, vbi diserte dicitur Moses vocem audisse ex operculo arcae, nihil amplius. Etenim ne illud quidem probabile satis videtur, nondum saltem demonstratum, Mosen, vbi vellet Deum consulere, semper intrasse adytum,

locum illum, cuius tanta esset sanctitas, ut eum ipse Pontifex summus sine mortis periculo non auderet ingredi, nisi semel per annum, ac ne tum quidem aliter, nisi caligine rebus sacris per suffitum circumdata, omnibusque summa cum cura ad praescriptam diuinitus normam peractis. Nam etsi nequit negari, Mosi, interpreti et ministro Dei primario, quocum Deus familiarissime et amicissime loqueretur, cui adeo amplissimam sui notitiam concessisset, (Exod. XXXIII, 11. *) plus licitum fuisse, quam aliis, ipsi adeo Pontifici: non videtur tamen, ob summam loci religionem ac caerimoniam, nisi iussu diuino adytum intrasse; idque non nisi semel factum legimus Num. XVII, 19. vbi Deus iubet eum ingredi adytum, et inferre virgas. at cum iussa Dei acciperet Moses, in adyto non stetisse, ex ipsis verbis et contexto apparet. Neque vllo in loco dicitur Moses adytum intrasse eo consilio, vt cum Deo loqueretur, sed simpliciter tabernaculum: vt adeo stetisse potius videatur in sancto, et audisse vocem ex adyto. Hoc apparet, nisi fallimur, ex Num. XVII, 8. vbi dicuntur Moses et Aaron, rebellantibus Israelitis, intrasse tabernaculum, et cum Deus ad Mosen dixisset, se perditurum esse totum populum, tum ambo procubuisse humi. Ambo igitur hanc vocem videntur audisse, quod haud dubie factum est in sancto. Quae si vera est ratio, illud quoque efficitur, vt videre Moses non potuerit nubem, si vel maxime aliqua esset in adyto super arca. Quod si ingressus vtique semper est adytum, nubem tamen ei visam, demonstrari rursus nequit.

§. VI.

* Ita enim verba Hebraea intelligenda, non statim de externo praesentiae diuinae symbolo, דבר יהוה אל משה פנים אל פנים quod vulgo vertitur: *locutus est Deus cum Mose facie ad faciem*, nullo sensu. Vario quidem sensu hoc dicitur de Deo, sed ita, vt e contextu facile possit discerni. Hoc quidem in loco esse, quem dixi, verborum sensum, intelligitur ex sequentibus, vbi additur: *quemadmodum loquitur homo cum amico suo.* vid. Fagius et Vatablus ad h. l. Vel cum h. l. verbum loquendi positum sit, פנים de ore, vt parte faciei, intelligi possunt, vt sit idem, quod alio loco de Mose dicitur Num. XII, 8. et alias solemniter Hebraei dicunt, פה אל פה *ore tenus, coram.* Quod egregie confirmat versio Chaldaica, quae פנים אל פנים vertit ממלל עם ממלל *verbum cum verbo* h. e. *coram.* Quod 1 Cor. XIII, 12. dicitur, nos esse visuros in altera vita Deum πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, explicat Ioannes I. Ep. III, 2. *sicuti est.* Tum plenissime eum cognoscemus, quoad scilicet poterunt homines.

§. VI.

Quod hactenus studuimus demonstrare, Deum super arca praesentem quidem, sed non per externum symbolum fuisse conspicuum Mosi, neque per nubem illi in adyto responsa dedisse, maxime confirmari putamus eo, quod e sacris libris constet, illam nubem, ducem Israelitarum, quae in tecto tabernaculi conspiceretur, interdum e tecto demissam constitisse in foribus tabernaculi, ibidemque Deum per hanc nubem cum Mose, Aarone et Iosua esse locutum, quod se facturum indicauerat Exod. XXIX, 42. 43. quodque factum esse legimus sic, vbi Deus rebellantes Israelitas compescere, omninoque suam maiestatem toti populo quasi praesentiorem ostendere, atque adeo de re graui cum Mose vellet loqui. Ipsum vero tentorium eiusque adytum ingressa nusquam legitur. Sic constitit in foribus tentorii minoris Exod. XXXIII, 9. maioris Num. XI, 25. XIV, 10. et locutus est Deus per illam cum Mose. Alibi cum Mose et Aarone Num. XII, 5. XVI, 20. XX, 6. 12. cum Mose et Iosua Deut. XXXI, 15. Iam non potest intelligi, quomodo illa nubes, quae constitit super tectum tentorii, sesequе demisit interdum cum Mose loquendi causa, eadem fuerit in adyto, perpetua sede sua, nisi diuersam hancce, duasque adeo nubes, aliam extra tentorium, aliam intra illud, libeat comminisci. Si eadem fuerit, dicendum necessario, egressam e sancto sanctorum, vbi demissa a tecto in foribus tabernaculi assisteret, vnde reditura in suam sedem, etiam in adytum recederet; omninoque statuendum cum LVNDIO, vt supra diximus, transiisse nubem per tectum tabernaculi, ita vt et extra illud in tecto, et intra illud in adyto conspiceretur, quod e sacris libris nullo modo potest probari. Dicitur enim tantummodo nubes se demisisse a tecto, vbi Deus vellet cum Mose loqui; sublata esse indidem, vbi essent castra mouenda, recessisse in tectum, vbi ponenda: ingressa autem adytum, vel egressa inde, nusquam legitur. Quod si alia fuerit nubes in tecto, alia in adyto, haec, vbi proficiscendum erat, sese abscondidit, atque euanuit, vbi rursus tabernaculum poneretur, rediit. Sed neque de hoc in sacris literis quicquam relatum legimus.

§. VII.

Cum paucos ante menses viro cuidam Hebraicarum literarum doctissimo, nunc e viuis sublato, institutum meum exposuissem, hoc solo argumento vtebatur, quo demonstraret, nubem fuisse super arca, neque adeo ab isto instituto abstraheret, quod saepe diceretur in libris sacris ignis exisse a Domino e. g. Leu. IX, 24. vbi lapsus ignis in sacrificia, X, 2. vbi in filios Aaronis, Num. XVI, 35. vbi in Koraitas; hunc vero ignem venisse

e nube, quae fuerit in adyto. Quam ſententiam vidi poſtea aliis etiam viris doctis placere, in hoc quoque Iudaeorum magiſtros ſecutis, ita tamen, vt alii dicant, ignem iſtum veniſſe e nube, quae ſteterit ſuper tabernaculo, alii ex adyto. CALOVIVS ad Leu. IX, 24. *a Domino. In Hebraeo*, inquit, *a faciebus Domini, a propitiatorio, vbi tunc primum Deus ſtatuit aſpectabile praeſentiae ſuae documentum.* Sic etiam COCCEIVS in Lexico ad vocem פנים et LVNDIVS Sacr. Iud. L. I. c. 10. vt alios taceam. Vnde apparet, ſententiae huic maxime praeſidium quaeri ex verbis מלפני יהוה quae cum ſint ad verbum, *a facie Domini*, nubem habent pro iſta facie, atque propterea e nube veniſſe ignem opinantur. Sed mirandum profecto, tam parum firmo argumento duci quemquam potuiſſe. Quis enim neſcit, quod iam ſupra diximus §. II. vocem פנים apud Hebraeos hoc modo poni ſine ullo reſpectu ad aliquam faciem, et verba לפנים מלפנים על פנים obtinere vim et locum praepoſitionum, quae ſimpliciter verti debeant, *ante, a, ſuper*; vti et videmus, haec verba ab his ipſis interpretibus aliis in locis verti, nec faciem interpretando exprimi. In hac vero cauſa aliquam vim iis tribuunt, vt ſcilicet ſententiam ſemel conceptam inde confirment. Nam etſi negandum non eſt, מלפני voci יהוה eſſe adpoſitum ſaepe tum, cum Deus externo ſuae praeſentiae ſigno vſus fuit; non tamen id propterea factum, quod illud externum ſymbolum hac voce exprimeretur, quae rurſus tum quoque ponitur, vbi nullum tale conſpicuum ſignum intelligi poteſt, vt Pſ. VII, 2. מלפניך משבטי יצא et Eſ. LVII, 16. רוח מלפני יעטוף Quis non videt hic ſimpliciter ſignificare *a te, a me*. Quod quidem clariſſime quoque apparet inde, quod, quae acta ſunt extra adytum in ſancto, omninoque in tabernaculo, vel etiam extra illud, tamen dicuntur in ſacris libris facta eſſe לפני יהוה vt Deut. XXVI, 13. vbi primitias offerentes iubentur formulam aliquam recitare לפני יהוה quod recte vertit Ioſephus ἀντικρὺς τῦ τεμενίσματος Ant. Iud. IV, 8. et ſupra vidimus filios Aaronis mortuos eſſe בקרבתם לפני יהוה Leu. XVI, 1. cf. Leu. IV, 4. Deut. XXX, 11. XVI, 12. Sic etiam ſacrificia offerentes, quamuis tentorium non intrarent, tamen dicuntur faciem Dei videre Exod. XXIII, 15. de quo ſupra quoque vidimus; quod aeque dici potuit, et vere etiam dictum eſt de templo ſecundo, vti clarum eſt ex Zach. VIII, 21. vbi diſerte dicit vates, venturos eſſe olim homines ad templum ſecundum לחלות את פני יהוה Non dubium eſt igitur, etiam ſi per ſe vel aliunde eſſet certiſſimum, ignem iſtum extitiſſe ex adyto, tamen, externum Dei ſymbolum ibi fuiſſe, niſi aliunde conſtiterit, ex hoc vocabulo non poſſet colligi.

Nec

Nec vero video, quae neceſſitas cogat ſtatuere, eiusmodi ſymbolum in adyto extitiſſe, ſi vel maxime ignis ex adyto prouenerit; ex quo quippe potuit prouenire, ſi ibi vel ſine externo ſigno praeſens fuit Deus. Nam et de coelo, hoc eſt, ex aere, miſſus eſt diuinitus ignis, et e terra erupit, atque is ipſe exiſſe a Deo dici poteſt. Quod egregie confirmat locus PHILONIS L. III. de Vita Moſis p. 676. vbi eadem commemorat, quae ſunt in ſacris libris, in dedicando nempe tabernaculo ignem delapſum in victimas, eumque ignem etiam prouenisſe ἐξ ἀδύτων, quae forte tum erat communis ſententia Iudaeorum. ἐκ τῶν ἀδύτων, inquit, εἴτε ἀιθέρος ἀπόσπασμα τὸ καθαρωτάτε, εἴτε ἀέρος, κατὰ τῶν στοιχείων φύσει μεταβολὴν ἀναλυθέντος εἰς πῦρ, ἀίφνιδιον ἀθρόα φλὸξ διεκκαίει, καὶ συντόμῳ ῥύμῃ φέρεται μὲν ἐπὶ τὸν βωμὸν, τὰ δὲ ἐξ αὐτῦ πάντα ἐξαναλίσκει, πρὸς, ἴσμαι, σαφεςάτην δήλωσιν, ὅτι ἐδὲν ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης ἐπετελεῖτο. Ex quo loco videmus, PHILONEM quidem putaſſe, ignem extitiſſe ex adytis, nec tamen dicere, veniſſe e nube, quae fuerit in adyto (nam de illa nube plane apud PHILONEM nihil reperitur, de quo infra erit dicendi locus) Dubitat enim, vtrum extiterit ex aethere puriſſimo, an ex aere in ignem mutato; quod non dixiſſet, ſi illi conſtitiſſet de nube illa ſuper propitiatorio. Sic et nos ergo poſſumus cum PHILONE ſtatuere, ignem prouenisſe ex adyto, nec tamen ideo dicamus neceſſe eſt, nubem ibi fuiſſe, e qua prodierit. Sed ne hoc quidem certum eſt, ſaltem non poteſt ex locis iſtis, quae attulimus, omninoque e ſacris libris probari. Licebit igitur nobis in hac quidem re PHILONIS auctoritatem relinquere, qui potuit in re non adeo graui, quam parum referret recte tenere, tradenda negligentior eſſe. Clarum potius eſt e ſacris literis, ignem iſtum in ſacrificia filiosque Aaronis lapſum veniſſe de coelo, vt et alias factum eſt, v. c. Gen. XV, 17. in ſacrificio Abrahami, 1 Reg. XVIII, 38. in ara Eliae, 1 Chron. XXII, 26. in ſacrificio Dauidis, 2 Chron. VII, 1. Salomonis, vbi diſerte dicitur veniſſe de coelo. IOSEPHVS vero dicit Ant. Iud. III, 10. de ſacrificio Aaronis: ἐπικειμένων τῶν ἱερῶν τῷ βωμῷ ἀίφνιδιον ἐξ αὐτῶν πῦρ ἀνήφθη αὐτόματον, καὶ ὅμοιον ἀςραπῆς λαμπηδόνι ὁράμενον τῇ φλογὶ, πάντα ἐδαπάνα τὰ ἐπὶ τῦ βωμῦ. Et de filiis Aaronis refert ſimpliciter κατεκάυθησαν τῦ πυρὸς ἐπ' αὐτὸς τὴν ὁρμὴν βαλόντος, vt videatur credere, igne illo, quem attulerant, in eos conuerſo periiſſe: quod etſi eſt falſum, indicat tamen, ab iſta ſententia eſſe alienum, quae ignem iſtum e nube eliciat. Ac ne quis propterea putet v. c. Leu. IX, 26 a Moſe dici ignem veniſſe e nube, quia v. 25. dicatur *gloria Dei*, qua ſaepe in ſacris libris nubes illa indicatur,

apparuisse, tumque sequatur: *et ignis exiit a Domino:* doctissimis interpretibus obseruatum iam est, illud ו in ותצא (quae copula apud Hebraeos multas ac varias habet significationes, quod sciunt omnes) hoc loco esse *nam*, atque hunc adeo esse sensum: *gloria seu maiestas Dei toti populo declarata est. etenim ignis est delapsus de coelo in sacrificia;* quod optime expressit LVTHERVS in versione: vt adeo per hunc ipsum ignem coelo delapsum diuina maiestas et praesentia declarata esse dicatur, neque adeo illud praesentiae diuinae signum, nubem in tabernaculo, hoc loco indicare voluerit Moses.

§. VIII.

Sed iam reliquis missis, vt leuioribus fere, quae a multis, inprimis a LVNDIO, e libris sacris afferuntur, huic sententiae illustrandae, posteaquam id effecisse videmur, vt primis temporibus, cum in itinere essent Israelitae, nullam eiusmodi nubem in adyto tabernaculi fuisse appareat; age iam pergamus ad sequentia tempora, et de his quoque videamus, an possit e libris sacris probari, confecto itinere, in terra Cananaea nubem super arca fuisse, et quidem primo ante templum exstructum. Est haec communis et Iudaeorum et Christianorum opinio, neque temere suscepta, nubem illam ducem Israelitarum, post mortem Mosis saltem, Israelitis non amplius visam, et quamquam in hoc quoque mira fabulantur, pro more, Iudaei, hoc tamen omnes, quos vidi, confitentur, post mortem Mosis eam discessisse. A conspectu igitur populi ab eo tempore remotam quidem fuisse dicunt, mansisse tamen super arca in adyto, et hanc sibi sedem, quam et ante habuerit, perpetuam retinuisse. Sed ne sic quidem argumenta sibi deesse putant sententiae vulgaris patroni, quibus probent, nubem e conspectu quidem populi amotam, in sancto sanctorum tamen perpetuo remansisse. Iam cum nullus locus extet, qui diserte dicat, post ingressum Israelitarum in terram Cananaeam nubem in arca sedisse, repetunt ante omnia loca illa, de quibus iam diximus, inprimisque Leuit. XVI, 2. quem cum sensu vulgari accipiant, Deum etiam inde colligunt et hoc tempore, et deinde perpetuo vsque ad excisum templum in nube sedisse super propitiatorio; et huic iam loco omnia reliqua accommodare laborant. Deinde vero duobus inprimis argumentis vtuntur, quibus hoc persuaderi posse putent. Primo, quod Deus dicatur sedere super Cherubinos, vel inter eos, statim per nubem factum esse statuunt: deinde e maxima arcae sanctitate et caerimonia, neque minus perpetratis ea subinde miraculis, Deum per nubem super ea fuisse praesentem, demonstrant.

§. IX.

§. IX.

Quod ad primum attinet, multa quidem extant loca in sacris libris, in quibus dicitur Deus sedere super Cherubinis, tanquam throno suo, v. c. 1 Sam. IV, 4. 2 Sam. VI, 2. 1 Chron. XIV, 6. Ps. LXXX, 2. XCIX, 1. 2 Reg. XIX, 15. Es. XXXVII, 16. vt alia taceamus: aliis item locis dicitur arca cum Cherubinis scabellum Dei 1 Chron. XXIX, 2. Ps. XCIX, 5. vnde fit, vt a Paullo etiam dicatur θρόνος χάριτος Ebr. IV, 16. Sed dubitandum certe, quisquamne futurus sit, qui ex his locis tam facile intelligat, nubem fuisse super Cherubinis, nisi iam occupatus ista opinione ad ea explicanda accesserit. Quid enim est, quaeso, in his verbis, quod hoc suadeat? E vocabulo *sedendi* nihil potest colligi, quod quis nescit, vbi de Deo dicatur, humano more dictum, vt in aliis solet verbis fieri, simpliciter *manendi*, *habitandi*, significationem habere, vt recte obseruat GEIERVS ad Ps. LXXX, 2. Dicitur enim eodem modo etiam *equitare* super Cherubinis Ps. XVIII, 11. vbi tamen ad arcam non respicere videtur Dauides: de quo loco infra dicendi locus erit. Quodsi ex hac voce possit colligi, nec minus inde, quod arca dicatur Dei thronus, et scabellum pedum eius; consequens etiam esset, Deum in coelo per aspectabile signum conspici, in quo eodem modo sedere, tanquam throno suo, dicitur. *Sedes mea est coelum*, dicit ipse Deus Es. LXVI, 1. *terra autem scabellum pedibus meis*; quo tamen nihil aliud significari omnes fatentur, quam Deum esse regem coeli et terae, cunctaque implere, quod alibi dicitur, v. c. Ps. XLVII, 9. *regnat Deus in gentes*, inquit Dauides, *Deus sedet in sancto suo solio.* Quid vero? Nonne Deus ipse dicit Ezechieli, cum ostenderet illi per visum templum secundum, hanc etiam fore sedem suam, suumque thronum, cum tamen templo huic arcam defuisse omnes fatea ntur? Sic enim Ezech. XLIII, 7. את מקום כסאי ואת מקום כפות רגלי אשר אשכן שם בתוך בני ישראל Clarum igitur est, his omnibus locis, vt et reliquis, hoc tantum significari, Deum super arca quidem esse praesentem, et Cherubinis tanquam throno insidere, sed non alio modo, quam quo fuit in templo secundo, sine vllo externo signo, de quo nihil ex eiusmodi quidem locis constare possit, quae omnino magis ad illustrandam hanc opinionem, si aliunde constaret, quam ad probandam valere videntur.

§. X.

Idem dicendum nobis videtur de reliquis argumentis, quae opinioni isti porro confirmandae afferri solent. Quod enim dicunt, maximam fuisse arcae sanctitatem, quam ne tangere quidem praeter sacerdotes vlli fas

fas esset sine mortis periculo, quod exemplo Vsae constat, quodque, vbi arca venerit in castra Israelitarum, Deus venisse dicatur Ios. XXIV, 14. tantaque adeo reuerentia illi habita sit: hinc, praesentem in ea Deum fuisse, colligamus licet, sed non illico conspicuum huic praesentiae signum, nubis videlicet, attribuamus. Tota enim arca erat symbolum praesentiae diuinae, cui simpliciter Deus adesset sine alio symbolo. Non apparet certe, quomodo hoc sit consequens, vt nubes necessario adfuisse censenda sit. Accedit, quod, si vel maxime nubes adfuisset in adyto super arca, non probabile tamen sit, eam super arca etiam mansisse, vbi extra adytum elata esset arca, siue ad exercitum ducendum, siue alio quo portaretur; quaeque adeo miracula per eam perpetrata legantur, fusis saepe hostibus, et Palaestinis propter eam maxime vexatis, quae ipsa in subsidium vocantur a quibusdam, ea non nubi cuidam super arcam aspectabili, sed praesentiae diuinae ipsi per se tribuenda sint. Quid enim? si nubes ab arca indiuulsa in exercitu quoque adfuit, ad Palaestinos etiam, cum arca ab iis capta esset, cum eadem transiit? quod quidem nemo facile admissurus videtur. nec vero credibile ex eo, quod Palaestini, hac nube conspecta, facile haud dubie intellexissent, hanc esse diuinam sedem, eamque adeo timuissent, nec tam facile recepissent. Neque vero illud credibile, libros sacros hanc rem siluisse, si a Palaestinis visa fuisset nubes; quod neque hoc loco, neque in aliis dicitur, solius semper arcae mentione iniecta. Quid vero iis, qui hoc velint defendere, magis esse aduersum possit, quam quod, absente etiam arca e tabernaculo, non solum sacra peracta a sacerdotibus, tanquam adesset, sed etiam facta esse dicantur לפני יהוה. Doegus ab Abimelecho cum sancto inclusus esset, dicitur fuisse לפני יהוה 1 Sam. XXI, 7. quamuis tum abesset arca. Ex quibus omnibus conficitur, vt illa, si qua fuerit, nubes nec arcae ipsi, nec adyto vtique tam adstricta et assidua fuerit, quam vtrimque fuisse pariter velint sententiae illius propugnatores: qui quantis difficultatibus ex omni parte premantur, deinde pluribus demonstrare studebimus.

§. XI.

Visum etiam quibusdam, nominatim LVNDIO, atque etiam RELANDO Ant. S. Hebr. P. I. c. 5. §. 27. hinc argumentum suppeditari, quod dicatur Ps. XCIX, 6. 7. Mosi, Aaroni, atque etiam Samueli Deus apparuisse in nube; quam negant aliam fuisse ab ea, quae super arca sederit. Sed et omnino apparet, si vel maxime diceretur Samueli Deus apparuisse per nubem, consequens tamen non esse, vt illa ipsa nubes

haec

haec fuerit ex arca. Neque enim adytum ingressus dici potest, vt eam posset videre. Neque vero hoc eo in loco dicitur, qui tantum, quod male erat intellectus, hoc persuasit. Videamus ipsa verba: משה ואהרן בכהניו ושמואל בקראי שמו קראים אל יהוה והוא יענם בעמוד ענן ידבר אלהם quoniam igitur Moses, Aaron et Samuel in antecedentibus sunt, putant etiam sequentia, quibus dicitur in nube cum iis locutus esse Deus, ad Samuelem itidem pertinere. Sed ad Mosen tantum et Aaronem referenda esse, non ad Samuelem, demonstrarunt alii, inprimis GEIERVS ad h. l. *De Samuele*, inquit, *tale quid non legitur, adeoque affixum non ad singula spectat, quae praecedunt, sed ad subiecta tantum duo priora, simulque ad remotiora.* Hanc vero esse consuetudinem loquendi apud Hebraeos, multis exemplis potest confirmari, et demonstratum est ab ipso GEIERO, v. c. Ps. XVIII, 15. XLIV, 3. Gen. XIX, 13. 2 Sam. XXI, 14. Refertur igitur ad Samuelem tantum hoc, quod Deum inuocauerit, et hic responderit illi, fueritque propitius.

§. XII.

Cum igitur nulla possint e libris sacris loca idonea afferri, quae persuadeant, nubem hoc quidem tempore fuisse super arca in tabernaculo: dispiciamus tandem, quid dicendum sit de argumentis iis, quibus volunt demonstrare, nubem fuisse super arca in templo. Primarium repetunt ex 1 Reg. VIII, 10. 11. 12. coll. 2 Chron. VI, 1. VII, 1. 2. 3. vbi dicitur Salomo, exstructo templo, arcam inferri iussisse per solemnem pompam in templum, et quidem in locum suum, nempe in adytum; quo simulatque posita fuerit a sacerdotibus, egressique illi ex adyto, ibi nubes implesse totam domum, vt ne stare quidem sacerdotes possent, et sacrificare, densissima nebula impediti. Eius autem rei miraculo perculsos homines instruxisse Salomonem his verbis: אמר יהוה לשכן בערפל *Deum dixisse, se habitare in caligine.* Hanc igitur nubem et hanc caliginem esse volunt illam ipsam nubem, quae in adyto locum suum super Cherubinis tenuerit. Appareret autem ex his, factum in dedicando templo, quod factum esse vidimus in consecrando tabernaculo, eademque adeo huic argumento esse respondenda, quae supra ei opposuerimus. Dicitur enim itidem gloria Dei, quae vocatur nubes diserte 1 Reg. VIII, 10. 11. 2 Chron. V, 13. 14. totam domum implesse, atque etiam visa fuisse a Iudaeis super tectum templi 2 Chron. VII, 3. vt olim super tabernaculo consecrando, et in eodem, conspecta fuerit; quae vti discessit deinde a tecto,

et templi ſancto eiusque partibus, ita deceſſit etiam ex adyto, vbi non ſolum arcam, ſed reliqua etiam ante oppleuerat: omninoque clarum eſt, Deum quidem hac ratione populo oſtendiſſe, ſe praeſentem huic templo fore, vt antea tabernaculo fuerat, ſuam vero Schechinam, ſeu nubem, hoc modo templi adyto intuliſſe, quae ibi perpetuo maneret, ex his locis non poteſt iudicari. Maximum vero huic opinioni praeſidium quaerunt in verbis Salomonis, qui de hoc ſpectaculo, hoc illud eſſe, quod Deus dixerit, לשכן בערפל, de quo effato Salomonis integra extat diſſertatio ad calcem Apparatus Hiſt. Crit. Antiquitatum S. Cod. et Gentis Hebr. a S. Venerabili I. G. CARPZOVIO editi, vbi ita explicatur, ac ſi Salomo voluerit his verbis hoc ſignificare: Deum promiſiſſe, ſe habitaturum in caligine, ſeu nube, quod idem eſt: atque ex eo colligitur, Salomonem intelligere hac caligine nubem illam, quae in arca foederis fuit. Atque id vti vere a Deo promiſſum eſſe appareat, affertur locus ex Leuit. XVI, 2. vbi, ex vulgari interpretatione, Deus dicit, ſe appariturum in nube ſuper propitiatorio. Sed clarum eſt, hunc locum, ſi vel maxime ſic eſſet capiendus, quod tamen ſupra negauimus, tamen huc non poſſe trahi. Salomo enim hac ſua oratione ad nubem reſpicere non potuit, quam in adyto ſuper arca fuiſſe dicunt, cum eam nec ipſe, nec populus potuiſſet videre, ſed ad eam potius, quae fuit per totum templum diffuſa; et in hac ipſa nebula, quae totum templum oppleuerat, dicit adeſſe Deum: quod inde demonſtrat, quia Deus dixerit, *ſe habitaturum*, ſeu *habitare* (vtroque enim modo poteſt hoc verbum explicari, et ſic forte melius ac ſimplicius) *in caligine:* vt adeo Salomo, viſa hac nube totum templum replente, hoc dicere voluerit: Deus dixit, *) ſe habitare in caligine, hoc eſſe ſuae praeſentiae

*) Quaeritur iam, vbi hoc dixerit Deus, ſe habitaturum, vel habitare in caligine. Leu. XVI, 2. huc trahi non poſſe oſtendimus. Magis huc pertinere videtur Exod. XIX, 9. vbi dicit Deus ad Moſen, *ſe venturum ad eum in caliginoſa nube;* qui locus hic et ipſe ſolet afferri. Cum autem praeter hunc nullus fere locus in ſacris libris extet, vbi Deus dicat diſerte, et ſine aliquo additamento, ſe habitare in caligine: dici forte poterit, ex diuino quodam libro, qui in numero Canonicorum non fuit, qualesque fuiſſe nemo ignorat, hoc habuiſſe Salomonem; aut a maioribus veluti per manus ipſi traditum fuiſſe. Quae enim neceſſitas adigit, vt, quod *dictum* a Deo ſit, in ſacris literis etiam *ſcriptum* quaeramus? quaſi non praeterea multa Deus dixerit, quae nec perſcripta literis, nec ad nos prodita ſint? Ceterum fatemur, Deum *caliginis incolam* dici propterea, quod praeſentiam ſuam per nubem

tiae signum, sic suam praesentiam solere declarare; atque ex ista nube intelligimus, hoc domicilium, quod exstructum ei est, illi esse gratum atque acceptum, illudque perpetuo Deum inhabitaturum. Et quis non videt, Salomonem et reliquos hoc signo certissimos reddi potuisse de praesentia Dei perpetua in templo, non secus ac olim Moses et Israelitae, cum etiam tabernaculum tali nube, praesentiae diuinae signo, inauguraretur; neque adeo fuisse necessarium, vt haec praesentia alia nube in adyto declararetur. Quod vero dicunt, hac nebula, quae totum templum oppleret, Deum quasi induxisse Schechinam suam, seu nubem, in adytum, sumunt illud quidem, sed non probant, nec potest magis ex hoc loco demonstrari, quam, ante exstructum templum in adyto fuisse, e libris sacris doceri. Neque Deum per caliginem illam quicquam aliud voluisse indicare, quam suum id fore domicilium, suamque sedem, inprimis vero in adyto super Cherubinis, vt antea factum; nubem autem praesentiae suae symbolum nullum adyto intulisse perpetuo ibi mansurum, clarissime puto demonstrari inde, quod Ezechiel, cum videret templum secundum ad praescriptam a Deo formam, vidisse etiam dicitur hanc nouam domum *repletam gloria diuina*, quae itidem nebula indicaretur, Ez. XLIII, 4. 5. et rursus dicitur *plena fuisse aedes gloria diuina* Ez. XLIV, 4. Ecce! id ipsum est, quod Deus

 voluit

bem solitus sit inde a principio rerum saepe manifestare, vbi voluerit cuiquam apparere, quemadmodum etiam per ignem: quod propterea Deum fecisse Moses indicat Deuter. IV, 4. ne visa aliqua specie alia, idolum sibi facerent Israelitae, procliues ad idololatriam, vt alias causas taceam, optime explicatas a S. V. CARPZOVIO l. c. Inde factum est, vt, vbi scriptores sacri vellent Dei maiestatem humano more exprimere, eum nube, tenebris et caligine tectum describerent, vt est apud Dauidem Ps. XVIII, 10. XCVII, 2. E quibus locis quidem apparere videtur, Dauidem, cum per prosopopoeiam Dei maiestatem, et Hebraico quidem more, describeret, respexisse ad descensum illum Dei in montem Sinam, vt demonstrat Geierus ad h. l. non vero ad nubem in propitiatorio, ad quam eum respexisse quidam coniiciunt propterea, quod illum Psalmum XVIII. conscripsisset post victos hostes, quos quidem sine dubio arcae et nubis super illam praesentia perculsos fuisse, nube tum illos horrendo aspectu & tonitribus fulminibusque terrente, in fugamque vertente. Quas meras esse coniecturas, ortas non nisi ex opinione illa de nube super arca, quilibet videt. Illa enim cuncta nihil aliud significant, quam diuinum auxilium Israelitis adfuisse, terroremque hostibus quocunque tandem modo incussum

voluit significare Ezechieli hoc viso, hanc quoque aedem fore suum domicilium, nec minus in eo templo se habitaturum, quam in priori Ez. XLIII, 7. Atqui afuisse secundo templo Schechinam illam omnes fatentur.

§. XIII.

Sed ex hoc ipso Ezechiele afferuntur a RELANDO Ant. Hebr. l. c. et LVNDIO quaedam loca, quae vincere videantur, nubem in templi adyto super arca fuisse. Dicitur enim Ezechiel per speciem oblatam vidisse in templo primo gloriam Dei, tollentem se a Cherubo IX, 3. X, 4. et in eundem locum residentem X, 18. 19. tandemque a Cherubinis sublatam exiisse ex vrbe, et in monte constitisse, qui esset extra vrbem versus orientem XI, 22. 23. Sed ibi quidem primo diserte dicitur, non aliam fuisse hanc visionem ab illa, quam viderat ad aquam Chebar X, 15. 20. vbi item super Cherubinis viderat gloriam Dei I, 28. et vbi certe non intelligenda arca cum Cherubinis, quae fuit in adyto. Ac si vel maxime ibi quoque templi speciem vidit, non tamen omnino dicitur vspiam Ezechiel vidisse hanc speciem ita, vt sibi videretur esse in adyto. Sed si vel hoc concedamus, non tamen consequens est, quod eo tempore, ad certum aliquod Dei consilium, per speciem, non in rerum natura, conspexerit extra se raptus vates, id vere ac semper in templo adfuisse. In visis enim propheticis, vbi Deus revelare aliquid vatibus vellet, suamque iis praesentiam declarare, necesse vtique erat, vt per signum et speciem aliquam se iis praeberet conspiciendum, quod quidem per nubem vel ignem semper eum fecisse constat. Hoc igitur symbolo, seu nube, seu fulgore super Cherubinis praesentiam suam quidem declarare voluit Ezechieli, atque etiam indicare, se ab eo loco discessurum, quem huc vsque habitauerat; mox enim futurum erat, vt et tota vrbs et templum exscinderetur; sed ex hoc non consequens, vere ac perpetuo ibi fuisse hoc symbolum. Etenim si omnia, quae vidit Ezechiel per istam speciem, vere sic se habuissent in adyto, Cherubini etiam fuissent viui, et mobiles, et habuissent sub se rotas, inter se prunas X, 2. 6. 9. templumque perpetuo fuisset repletum nebula et gloria Domini, aspectabile adeo praesentiae diuinae symbolum in atrio quoque semper apparuisset X, 3. 4. quod nemini vnquam ex hoc loco in mentem venit. Vide omnino hanc Ezechieli oblatam speciem egregie explicatam a BERN. LAMIO de Tabernaculo et Templo L. III. C. V. Sect. 3. vbi id maxime in rem nostram monet, in visis vatum vsu veniisse, vt Deus per nubem vel ignem se praeberet conspicuum, neque adeo tamen ex hoc coniicit, nubem super arca perpetuo fuisse; quem-

admodum

admodum nec omnino auctor iste toto illo libro, inprimisque, vbi de arca agit, istius Schechinae vllam mentionem iniicit, quod recte ac scienter eum fecisse, omnes agnoscent.

§ XIV.

Sed iam veniendum est ad loca quaedam Noui quoque Testamenti, e quibus et ipsis vulgo solet haec opinio de nube super arca confirmari. Huc referunt primo Ebr. IX, 15. vbi omnia, quae in sancto et adyto fuerint, enumerat Paullus, et Cherubinos appellat χερουβὶμ δόξης, ea, vt putant, de causa, quod ἡ δόξα Θεοῦ, seu nubes, et inter eos et super iis resederit. Sed demonstrandum erat, χερουβὶμ δόξης vllo loco sic dici propter nubem, quod nemo fecit. Manifestum vero est, illud substantiuum per Hebraismum notissimum pro adiectiuo habendum esse, ut sit, *Cherubini glorioſi*, ἔνδοξοι, vt, *nomen Dei glorioſum*, שם כבוד Ps. LXX, 19. Ac si vel maxime propterea Cherubinos glorioſos velis dictos, quod Deus inter eos sederit, nondum tamen id suadebit, vt per nubem quoque ibi resedisse agnoscamus. Deinde vero clarum est, χερουβὶμ δόξης hoc loco significare potius *Cherubinos ſplendidos*, aureos nimirum: δόξαν enim saepe significare splendorem ac dignitatem, patet ex 1 Cor. XV, 41. vbi est, ἄλλη δόξα ἡλίου, ἄλλη δόξα σελήνης, ἄλλη δόξα ἀστέρων, *alius ſplendor, alia dignitas, ſolis, alius lunae, alius ſtellarum.* 2 Cor. III. saepe positum est hoc vocabulum, et quidem in διλογίᾳ, mox enim *ſplendorem*, vt v. 7. vbi Paullus dicit non potuisse ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ισραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωυσέως, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ: mox *dignitatem* significat. Et hunc esse vsum loquendi apud Hebraeos et Noui Testamenti scriptores, multis constat, v. c. ex Es. XXII, 18. vbi commemorantur *currus gloriae*, quos vertit LVTHERVS optime, *currus ſplendidos, pretioſos.* Philipp. III, 21. dicitur Christus commutaturus esse σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, corpus nostrum miserum, quod affligatur calamitatibus ac miseriis, vt fiat simile τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, *corpori ſuo glorioſo.* Vnde potius ex illo loco contra illam opinionem videtur argumentum posse depromi. Si enim vere fuisset nubes super arca, Paullus certe hoc loco, vbi omnia tam diligenter commemorat, quae fuerint in adyto, praecipuae illius partis, nubis, mentionem non omisisset, idque disertis fecisset verbis, saltem quam haec, quae nunc ibi leguntur, clarioribus. Sed hoc non adeo vrgeamus. Videamus reliqua.

§. XV.

Alius locus est Rom. IX, 4. quem et ipsum fauere sententiae suae, contra quos disputamus, existimant. Optat ibi Paullus, vt fiat ἀνάθεμα

ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν σε, τῶν συγγενῶν σε κατὰ σάρκα, οἵτινές, pergit, εἰσιν Ἰσραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι, καὶ ἡ νομοθεσιά, καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι. Atqui per hanc δόξαν alii putant intelligi Paullo arcam, alii nubem ſuper arca. Sed vbi δόξα ſimpliciter, nulla antea arcae mentione facta, ſignificet illam arcam, locus nullus poteſt proferri; quod item intelligendum de eo, quod δόξα ſignificare dicitur nubem, quam vbi tanquam externum praeſentiae diuinae ſymbolum denotat, ſemper adiectum habet τῦ Θεῦ vel Κυρίε. Deinde vero, cum haec ſcriberet Paullus, arca iam non extabat. Atqui Paullus videtur hoc loco loqui de bonis perpetuis, quibus adhuc poſſent gloriari Iſraelitae. Plus igitur intelligendum, vti exiſtimat CALOVIVS ad h. l. et latius exponenda illa δόξα, ita nempe, vt ſit illa propria ipſis gloria, quam habebant prae reliquis gentibus, vt eſſent filii ac populus Dei, vt tot miracula facta eſſent pro iis, quod vult HVNNIVS ad h. l. Hoc ſenſu etiam verbum δοξάζειν eſt Sapient. XIX, 22. κατὰ πάντα, κύριε, ἐμεγάλυνας τὸν λαόν σε, καὶ ἐδόξασας, καὶ ὐχ ὑπερεῖδες καιρῷ καὶ τόπῳ παρισάμενος. Planum vero eſt, his verbis ad antecedentia reſpici, vbi commemorantur miranda Dei facta, et liberatio Iſraelitarum ex Aegypto; vt adeo ſenſus ſit: Deus populum ſuum glorificauit edendis miraculis, eumque ex Aegypto educendo.

§. XVI.

Plura quidem addere poſſemus loca, quae huic probandae opinioni afferri ſolent. Sed ne nimium excreſcat haec diſputatio, hic ſubſiſtimus, ſperantes, primaria ſaltem loca nos attigiſſe. Itaque hoc tranſacto, pergamus ad alteram diſputationis noſtrae partem, qua, vti propoſuimus, demonſtrandum erit, hanc traditionem nullis ſcriptorum veterum, antiquiorum ſaltem iſtis Rabbinis, e quibus ducta eſt, teſtimoniis confirmari, ſed altum in his eſſe ea de re ſilentium, eam adeoque nec ab hac parte admittendam. Non obſcurum quidem nobis eſt, huic argumento, quod a ſilentio ſcriptorum deſumitur, exiguam vel nullam admodum vim a multis tribui, idque recte ſaepe fieri concedimus: ſed non vtique tum, cum eiusmodi ſcriptores rem aliquam ſilent, qui ſint fide digni, atque ipſa res ſit ea, quam et ſcire optime potuerint, et cuius commemorandae et occaſionem et cauſam ac neceſſitatem adeo, cum reprehenſionisque metu, ſi omitterent, habuiſſe videantur. Quod ſi in noſtra cauſa demonſtratum dederimus, tum vero hoc argumentum in hac re vim habiturum non leuem ſperamus. Silent autem de hac re ſcriptores antiquiſſimi IOSEPHVS ac PHILO, antiquiores certe iſtis Rabbinis, a quibus accepta

accepta traditio ad nos peruenit, quibus si non maiorem, at parem merentur fidem, in hac vtique causa fide dignissimi, de qua edocti esse optime potuerunt, cum essent ambo Iudaei. Deinde nubem istam silent iis locis, vbi commodissima erat occasio atque etiam causa eius commemorandae, nec poterant recte eam praetermittere.

§. XVII.

De IOSEPHO primum videamus. Ant. Iud. III, 5. 6. 7. historiam refert IOSEPHVS constituti tabernaculi, totamque eius descriptionem ac formam cum omnibus, quae in eo fuerint: et c. 5. primum, vbi eius descriptionem exponit, hoc tabernaculum ostendit totius vniuersi huius naturam significasse, in quo quidem adytum referret coelum, quoniam esset inaccessum sacerdotibus, τό τρίτον, inquit, αὐτῆς sc. σκηνῆς, μέρος ὃ τοῖς ἱερεῦσι ἦν ἄβατον, ὡς ἀφανὲς ἂν εἴη τῷ Θεῷ. Quod repetit c. 8. vbi dicit mirandum esse, qui homines odio prosequantur Iudaeos propter perpetuam opinionem de iis conceptam, quasi per impietatem numen contemnerent, quod ipsi assiduo cultu venerarentur. Si quis enim tabernaculi fabricam contemplaretur, et sacerdotis ornatum (de quo etiam initio huius capitis disseruerat) et vasa etiam, quibus inter sacrificandum vterentur, intellecturum esse, legislatorem ipsum diuinum quendam virum fuisse, et falso adeo impietatis calumniam iis impingi: quae si quis omnia sine inuidia, seu partium studio, et prudenrer consideret, in his omnibus vniuersitatis rerum naturam quodammodo designatam inuenturum. Tabernaculi enim trifariam distributi duas partes sacerdotibus esse concessas, quae quasi mare et terram significarent, tertiam vero partem adsignatam esse Deo, quia coelum etiam hominibus sit inaccessum. τὴν δὲ τρίτην μοῖραν, inquit, μόνῳ περιέγραψε τῷ Θεῷ, διὰ τό καὶ τὸν οὐρανὸν ἀνεπίβατον εἶναι ἀνθρώποις. Assignatum soli Deo dicit IOSEPHVS, eoque inaccessum hominibus, non aliam ob causam, quam quod esset Dei sedes. Sed quid hic de nube? Non sane credibile, IOSEPHVM hoc in loco rem omissurum fuisse, vbi commodissime tradere posset, tanto quidem magis, quanto maius et fortius hoc esset argumentum refutandis aduersariis, cum quibus hic disputat IOSEPHVS, quibus non alio modo potuisset clarius demonstrare, Deum ipsum inter illos habitasse, Iudaeosque adeo esse verissimos ac Deo carissimos Numinis cultores. Ne vero quis dicat, IOSEPHVM hic loqui de adyto in vniuersum, non de arca et Cherubinis, quae fuerit sedes nubis illius: age videamus et illum locum, quo arcam cum Cherubinis describit qui est c. 6. Ibi, cum eius formam et speciem descripsisset, nihil

nihil amplius addit nisi hoc, operculo eius impositas fuisse duas effigies, quas Hebraei Cherubesvocarent, inque hanc arcam repositas tabulas legis. Quam opportuna et hic fuisset occasio commemorandae nubis, si illi quicquam de ea constitisset?

§. XVIII

Ne vero hic quis opponat, IOSEPHVM propterea hoc loco nondum mentionem nubis iniecisse, quod, cum inferret arcam sic a IOSEPHO descriptam Moses adyto, nondum descenderit nubes: primo, cum Iosephus in vniuersum hoc loco de arca agat, sine dubio etiam de ista nube dicere debebat. Quod si quis neget, videamus iam, an de illa aliquid dicat eo loco, quo dedicationem tacernaculi refert, qui est c. 10 eiusdem libri, vbi quidem eodem fere modo commemorat, quae sunt Exod. XL. Perfecto enim tabernaculo, inquit; ἐπέδειξε αὐτὸν ὁ Θεὸς ἡσθέντα τῷ ἔργῳ τῶν Εβραίων, καὶ μὴ μάτην αὐτὸς πονήσαντας ὑπερηφανείᾳ τῆς χρήσεως, ἀλλ' ἐπεξενώθη καὶ κατεσκήνωσε τῷ ναῷ τούτῳ, τὴν δὲ παρουσίαν ἔτως ἐποίησεν. ὁ μὲν ἀερὰνὸς καθαρὸς ἦν, ὑπὲρ δὲ τὴν σκηνὴν μόνην ἤχλυσεν, ἔτε βαθεῖ πάνυ νέφει καὶ πυκνῷ περιλαβὼν αὐτὴν, ὥσε εἶναι δόξει χειμέριον, ἔτε μὴν λεπτῷ ἔτως, ὥς τε τὴν ὄψιν ἰχῦσαί τι δι' αὐτῦ κατανοῆσαι etc. Nihil hic Iosephus nisi hoc, Deum descendisse per nubem super tabernaculum, certissimo argumento, se illi fore praesentem. De nube vero, quae simul descenderit in arcam, perpetuo commoratura, nec hoc loco, nec alibi quid apud Iosephum dicitur, sed vbi de nube agit duce Israelitarum, nihil aliud, quam super tabernaculum eam semper constitisse perhibet, vt est etiam in sacris literis; in ipso vero tabernaculo fuisse nuspiam dicit. Conf. Ant. Iud. III, 13. Quam commode vero et hic dici poterat, si quid de nube super arca IOSEPHO constaret, atque adeo debebat? Idem silentium est eo in loco, quo dedicationem templi describit IOSEPHVS, eodem fere modo, quo est in sacris literis. Sic enim Ant. Iud. VIII, 3. ἐπεὶ δὲ πάντα διακοσμήσαντες οἱ ἱερεῖς τὰ περὶ τὴν κιβωτὸν ἐξῆλθον, ἄφνω πλῆμα νεφέλης ὲ σκληρὸν, ὲδ' οἷον ὥρᾳ χειμῶνος ὑετῦ γέμον ἵσαται, κεχυμένον δὲ καὶ κεκραμμένον εἰς τὸν ναὸν εἰσερρύει. καὶ τοῖς μὲν ὄψεσι τῶν ἱερέων, ὡς μηδὲ καθορᾶν ἀλλήλυς ἐπεσκότει. ταῖς δὲ διανοίαις τῶν ἁπάντων φαντασίαν καὶ δόξαν παρεῖχεν, ὡς τῦ Θεῦ κατεληλυθότος εἰς τὸ ἱερὸν καὶ κατεσκηνωκότος ἡδέως ἐν αὐτῷ. Dicit igitur IOSEPHVS, egressis sacerdotibus ex adyto nebulam totum templum occupasse, non solum adytum, quod etiam est in sacris literis; atque hac re hanc in omnibus cogitationem esse excitatam, vt Deum intelligerent praesentem ac libentem hoc domicilium sibi cepisse. Haec igitur

igitur apparet a Iosepho non alio modo accipi, quam quo a nobis sunt explicata. Atqui videtur IOSEPHVS hoc certe loco rem commemoraturus fuisse, si vere ita, vt volunt, fuisset, vt appareret, nubem vel ante, vel ab hoc saltem tempore in adyto fuisse, nec ita, vt factum videmus, rem totam siluisse. Neque etiam credibile, IOSEPHVM in vniuersum hanc rem non commemoraturum, si illi de ea constitisset, ac ne vno quidem loco eius mentionem iniecturum fuisse, cuius iniiciendae causam haberet grauissimam. Cum enim, quod iam diximus, nihil maiori futurum honori erat populo Israelitico, quam hoc, si Deus per aspectabile quoddam signum apud eos habitaret, vt certissimum praesentiae suae pignus: IOSEPHVS vtique hoc commemorasset, in hoc triumphaturus, seque et populum suum magnifice ostentaturus aduersariis Iudaeorum, sicut a Rabbinis fieri videmus, qui eam commenti hac maxime de causa credendi sunt; eo quidem magis, quod in aliis quoque rebus videmus, IOSEPHVM res suae gentis augere potius, quam deprimere, et gloriam suae genti quibus possit modis captare, quod ipsum solet a viris doctis IOSEPHO saepe exprobari. Neque minus clarum est, eum hanc rem sine culpa et maxima reprehensione non potuisse omittere. Quomodo enim in tam diligenti expositione ceterarum rerum illud taceret, quod esset sane maximum et praecipuum, cuius commemorandi occasionem non certe vnus sed multa loca suppeditarent? Si de illa non tacuerat nube, quae atrium et sacrarium occupauit, cur de illa longe potiori taceret, quae in adyto resideret? Omiserit multa Iosephus, male etiam multa et parum diligenter tradiderit: hoc quidem nec omisisse potest, nec vero male tradidisse, quod ad omnium cognitionem ipsius quidem temporibus necessario peruenisse debuit, si vere exstitit.

§. XIX.

Idem censendum de PHILONIS auctoritate, qui ipse silet hoc iis locis, vbi non magis quam IOSEPHVS sine maxima reprehensione poterat omittere: quin certe commemorasset, si quidem de ea ipsi constitisset. L. III. de Vita Mosis p. 668. 669. enumerat omnia, quae fuerint in adyto et sacrario, ibique describit arcam cum Cherubinis, et quidem sic, vt significationem earum rerum arcanam simul exponat, quod eum vbique studiosissime facere constat. Atqui hoc certe in loco, nec in alio potius, nubis illius mentionem feciisset, si quid ipsi de ea constitisset, significationemque eius arcanam exposuisset. Is, qui allegorias tam libenter captat, in iis quoque rebus, vbi leuior materia est, num illud omisisse putandus est, in quo recte ac legitime posset ingenium exerceri, de quo optima

quaeque possent dici? Sic de aliis locis PHILONIS censendum, veluti Lib. de Temulentia p. 260. vbi itidem mystice explicat tabernaculum, et quae in eo fuerint, dicitque tandem fuisse inaccessum omnibus, nisi quod soli Pontifici semel omnino per annum licuerit ingredi, causamque addit: ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἁπάντων μόνος ὁ τῶν ἀσωμάτων καὶ ἀφθάρτων ἀγαθῶν πτηνὸς καὶ ἐράνιος ἔρως ἐνδιαιτᾶται. Ad Cherubinos hic manifeste respicit PHILO, dicitque Deum super iis habitare, non autem in nube; quam certe etiam hoc loco commemorasset, nec minus arcanam eius significationem, quam hoc loco in aliis rebus tam anxie et ingeniose quaerit. Locus maxime insignis est Lib. de Profugis p. 465. vbi locutus de arca eiusque operculo subiicit: ποιητικῆς δὲ καὶ βασιλικῆς, τὰ ὑπόπτερα καὶ ὑφιδρυμένα χερουβὶμ ὁ δ' ὑπεράνω τούτων λόγος θεῖος, εἰς ὁρατὴν ἦκ ἦλθε ἰδέαν, ἄτε μηδενὶ τῶν κατ' αἴσθησιν ἐμφερὴς ὤν, ἀλλ' αὐτὸς εἰκὼν ὑπάρχων Θεοῦ, τῶν νοητῶν ἁπαξαπάντων ὁ πρεσβύτατος, ὁ ἐγγυτάτω, μηδενὸς ὄντος μεθορίᾳ διαστήματος, τῷ μόνῳ ὁ ἐστιν ἀψευδῶς ἀφιδρυμένος. λέγεται γοὰρ, Λαλήσω σοὶ ἄνωθεν τῆ ἱλαστηρίᾳ ἀνὰ μέσον τῶν δυοῖν χερουβὶμ, ἅθ' ἡνίοχον εἶναι τῶν δυναμένων τὸν λόγον, ἔποχον δὲ τὸν λαλοῦντα ἐπικελευόμενον τῷ ἡνιόχῳ τὰ πρὸς ὀρθὴν τῆ παντὸς ἡνιόχησιν. Hic tantum abest, vt PHILO dicat, nubem fuisse super arca, vt potius contendat, λόγον illum, qui super ea fuerit ex illo: *Loquar tecum ex operculo inter Cherubinos*, non cadere in speciem aspectabilem, nec rei sensibili esse similem. Quocunque sensu hoc dicat PHILO, clarum tamen ex eo, nihil ei plane de nube illa fuisse cognitum; quae si vere extitit, non incognita esse potuit antiquissimo auctori, cui quare minor fides habenda sit, quam Rabbinis, non video. De alio loco PHILONIS, nempe L. III. de Vita Mosis p. 676. supra iam vidimus §. VII. quae hoc loco non repetemus, ex quo et ipso clarum esse diximus, de nube ista nihil ei omnino fuisse cognitum.

§. XX.

Sed iam, quod tertium erat ex iis, quae proponebamus, id quoque nunc agemus, vt ipsius rei naturam consideremus, quomodo sibi constet, si illa traditio fuerit probata. Deus cum Israelitas educere vellet ex Aegypto per inuia loca ac deserta in terram Cananaeam, se ipsum voluit comitem ac ducem iis praebere, idque per signum externum et aspectabile, per nubem, vt de praesentia pariter et fauore ipsius certi spem fouerent certissimam finiendi tandem erroris, sedisque, quam Deus promiserat, obtinendae. Non igitur alio consilio haecce nubes a Deo adhibita dicitur in sacris literis, quam hoc, vt dux viae foret Israelitis; nec per-

perhibetur alii praeterea vsui ab initio statim destinata a Deo fuisse, quasi, vt simul in tabernaculo super arca resideret, quod nec per se videtur probabile. Nec enim necessarium erat, cum Israelitae nubis illius quotidiano aspectu, quae eos praecederet, satis certi esse possent vel sic praesentiae diuinae ac tutelae, neque opus erat, vt Deus, idque semel quotannis, nec alio quodam modo, sed item per nubem, soli Pontifici in secreto se conspiciendum praeberet. Vbi vero Deus per nubis illius ductum Israelitas in promissis sedibus collocasset, perfecto itinere, euanuit illa nubes, cuius iam nullus vsus esset, nullum consilium. Ab hoc vero tempore neutiquam videtur adeo necessarium fuisse, aut tantae vtilitatis, vt Deus aspectabili signo super arca habitaret, cum Israelitis tam certe esset persuasum, habitare Deum inter ipsos, qui et maiores suos tantis beneficiis ornasset, quique etiam promisisset Mosi, se perpetuo inter eos habitaturum, et quidem super arca, quamuis non aspectabili symbolo, quod ne aspicere quidem magis potuissent, quam adytum illud, vbi esset, ingredi: vt adeo ipsa potius arca fuisse videatur diuinae praesentiae signum, cuius summa erat religio ac caerimonia ex instituto diuino, per quam etiam saepissime Deus miracula ederet. Sola poterat arca omnes illos vsus praestare, qui nubi tribuuntur. Si hoc signo populus praesentiam agnoscere debebat diuinam (aliud enim consilium habere illam nubem potuisse, non prius credere cogemur, quam prolatum fuerit) cur in eo loco apparebat hoc signum, quo nemini adire, nulli quicquam conspicere licebat? Cur non potius in sacrario, aut alio quo magis conspicuo loco? An vt soli Pontifici, qui omnium minime dubiam habere praesentiam diuinam poterat, semel perannum in arcano, suffitus nebula conspectum adimente, appareret (cum ne apparere quidem per suffitum potuerit) totum in annum loco illo inaccesso resedit? Parum sane credibile. Sed non vna haec difficultas est, qua premantur atque impediantur huius sententiae defensores. Etenim, quod supra exposuimus, quomodo nubes illa simul extra tabernaculum et intra illud super arca fuerit, nisi duas nubes comminiscamur, vel nouis nos difficultatibus induamus, vnde non nisi per ea, quae probari nullo modo queant, exitus detur. Vid. quae diximus §. VI. quae hic non repetemus. Ac ne illud quidem facile explicaueris, quid factum sit etiam post finitum iter in ipsa terra Cananaea ante exstructum templum, cum translata toties arca ad exercitumque sit ducta. Si dixeris, nubem super arca fuisse etiam extra tabernaculum: primo iam in adyto non fuisse, deinde ad Palaestinos quoque transisse dicendum erit. Si vero sumseris in tabernaculo mansisse, ibique tantum super arca constitisse, euanuisse dicenda erit toties,

quoties tabernaculum alio transferretur; quae vero per arcam facta dicuntur miracula, non nubi tribuenda, sed ipsi praesentiae maiestatis diuinae, quae cum ipsa arca sine vllo alio signo externo semper fuit coniuncta.

§. XXI.

Quae cum ita sint, quid est cur sententiam eiusmodi amplectamur, quae nullis librorum sacrorum auctoritatibus nixa, non possit locis probari nisi iis, quae aut aliter commodius explicentur, aut, primariis illis aliter explicatis, nec infixa iam animo illa opinione, explicari secundum eam non possint: quae nullis scriptorum idoneorum testimoniis confirmetur, omissa iis in locis, vbi, si qua fuisset, necessario esset commemoranda: quae denique tot ac tam iniquis difficultatibus semet ac propugnatores suos impediat? Certe nemo tam iniquus erit, nobis vt irascatur, qui has dubitationes proferendi iusnobis quoque esse duxerimus; quam si ab aequitate Lectorum nostrorum atque humanitate veniam tulerimus, satis feliciter euenisse nobis putabimus, et si neminem ad nostras partes transducere potuerimus. Ceterum auertendae inuidiae causa quasi deprecatoris alicuius auctoritatem, auxilio in extremo adhibere videtur magni VITRINGAE verba, e loco a nobis supra laudato: *Sufficiat dicere, arcam habitationis diuinae symbolum fuisse, et locum inter Cherubinos ideo praesens habuisse Numen, quia voluntatis suae reuelatione inde profecta praesentem se Israelitis testabatur Deus. Non dubitamus, quin aduersa sententia multum debeat Iudaeis, qui de praerogatiuis suae gentis magnifice loqui solent, etsi inter eos aliqui sint, qui hic loci plus ceteris viderunt.*

01 A 6550

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-176797-p0045-8

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches

27

NVBEM
SVPER ARCA FOEDERIS
IVDAICVM COMMENTVM VIDERI

EX AVCTORITATE

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPH

EXERCITATIONE ACADEMICA

DEFENDET

M. CHRISTIANVS GVILIELMVS
THALEMANNVS

LONGOSALISS. THVRING

ET

GEORGIVS CHRISTOPHORVS BVRMANNVS

TORGAV. MISNIC

LIPSIAE A. D. XIX. APRILIS. A. C. CIↃIↃCCLII

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

30

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-176797-p0047-0